
Incipit liber magistri hugonis de operibus trium dierum.

Invisibilia dei a creatura mundi per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. Tria sunt invisibilia dei. Potencia. sapiencia. benignitas. Ab his tribus procedunt omnia. In his tribus consistunt omnia. Per hec tria reguntur omnia. Potencia creat. sapiencia gubernat. benignitas conservat. Que tamen tria sicut in deo ineffabiliter unum sunt: ita in operatione separari non possunt. Potencia per benignitatem sapienter creat. sapiencia per potenciam benigne gubernat. benignitas per sapienciam potenter conservat. Potenciam manifestat creaturarum immensitas. sapienciam decor. benignitatem utilitas. Immensitas creaturarum constat in multitudine et magnitudine. Multitudo in similibus. in diversis. in permixtis. Magnitudo est in mole et spatio. Moles est in massa et pondere. Spacium est in lato. et longo. profundo et alto. Decor creaturarum est in situ. et motu in specie et qualitate. Situs est in compositione et ordine. Ordo est in proprietate. et tempore. et loco. Motus est quadripartitus. localis. naturalis. animalis. rationalis. Localis est ante et retro. dextrorsum. sinistrorsum. sursum. et deorsum. et circum. Naturalis est in incremento. et decremento. Animalis est in sensibus et appetitibus. Rationalis est in factis et consiliis. Species est forma visibilis. que oculo discernitur. sicut colores. et figure corporum. Qualitas est proprietas interior. que ceteris sensibus percipitur: ut melos in sono auditu aurium: dulcor in sapore gustu faucium. fraglancia in odore olfactu narium lenitas in corpore tactu manuum. Utilitas creaturarum constat in grato et apto. et commodo. et necessario. Gratum est quod placet. aptum quod convenit. commodum quod prodest. Necessarium sine quo quid esse non potest. Has propositas particiones a principio repetamus. et in uno quoque divisionis qualiter vel ex immensitate creaturarum creatoris manifestetur potencia. vel ex decore sapiencia vel ex utilitate benignitas perquiramus. Et quia immensitas prima fuit in particione: prima esse debet in prosecutione. Diligenter igitur audite et considerate que dicturus sum.



quod prius habuit. aliter habere incipit quam prius habuit. Mutatio secundum tempus ex duobus precedentibus nascitur. quia nil temporaliter mutari potest. quod vel formaliter non mutetur vel localiter. Unde evidenter colligitur. quod immutabile omnino est quicquid neque forma neque loco mutari potest. Si igitur deum neque forma neque loco mutari posse constiterit immutabilem omnino esse dubium non erit. Localem autem mutationem facile ab eo removemus. si eum ubique esse ostendimus. Quod enim ubique est. in omni loco est. Quod autem in omni loco est de loco ad locum transire non potest. Deum autem ubique esse multa sunt indicia. Primum ipsa anima nostra quam et ratio simplicem essentiam esse non dubitet. et sensus per omne quod vivificat corpus diffusam esse probat. Quecumque enim animati corporis pars leditur. unum est ad quem sensus omnis doloris retorquetur quod omnino non fieret. si unus et idem ubique diffusus non esset. Si igitur rationalis spiritus hominis cum sit simplex. per omne quod regit corpus diffunditur dignum non est. ut ille creator spirituum qui omnia regit et possidet uno aliquo in loco coartari et non omnia potius implere credatur. Nam et ipsi rerum motus. qui tam certo et tam rationabili moderamine ubique currunt unum intrinsecus moventem esse ostendunt. Nec tamen ullo modo credendum est quod sicut spiritus hominis cum corpore quod sensificat personaliter coniungitur ita quoque creator ille spiritus cum corpore huius sensilis mundi personaliter coniungatur. quia aliter implet mundum deus. et aliter anima corpus. Anima implet corpus et continetur. quia circumscriptibilis est. deus implet mundum. sed mundo non includitur. quia ubique presens. nusquam comprehendi potest. Preterea cum divine virtutis effectus ubique esse cernimus. cur eandem dei virtutem omnibus inesse rebus dubitemus? Si autem dei virtus ubique est cum alia non sit dei virtus quam deus est constat quia nusquam deus deest. Neque enim ut homo aliena ad operandum virtute deus indiget. quia homo alieno sepe adminiculo perficit quod facere propria virtute non valet. Unde


ad medelam. Ipsum audite. Ipse conditor: ipse est et redemptor. Ipse deus
tecum uos condidit: qui uobiscum homo solus ad uos uenit. Ipsum
audite. Ipse est forma: ipse est medicina: ipse est exemplum: ipse est re-
medium. Ipsum audite. Felicius fuisset semper tenuisse eius similitudinem:
sed iam nimis gloriosum non erit ad eius redire imitationem. Ipsum audite.
O homo. quid causaris ignorantiam tuam? Ecce ipsa te tua natura arguit: ipsa
conuincit. Nosti qualis sis. unde uenias: quem factorem habeas: quo
mediatore egeas: et tu adhuc impudenter te defendendo contra deum cla-
mas? Nosti quia malus es. et quia a bono opifice malus factus non es: et
cessas et non clamas ad deum qui te fecit: ut ueniat et reficiat qui creauit
ut redimat. Noli dubitare de potencia eius: uide opera illius quanta
sint. Noli dubitare de beniuolentia. uide opera eius quomodo ad utili-
tatem tibi seruiunt. Monstrat quantus sit in suo opere: quantum possit in tua
redemptione. Monstrat tibi etiam quam formidandum expectare possis iudicem:
si nolueris habere redemptorem. Nemo resistere ei potest: quia omnipotens
est: nemo fallere eum potest: quia sapientissimus est: nemo eum corrum-
pere potest: quia optimus est: nemo eum declinare potest: quia ubique
est: nemo eum tollere potest: quia eternus est: nemo eum flectere potest: quia
incommutabilis est. Si ergo nolumus talem sentire iudicem: ipsum queramus
redemptorem.


Noli dubitare de sapientia. uide opera eius quam pulcra sint;

Quando prius de uisibilibus ad inuestiganda inuisibilia
progredi cepimus: primo a corporea creatura ad incorpoream hoc est ra-
tionalem creaturam transiuimus: ac deinde a rationali creatura usque ad
sapientiam dei peruenimus. Nunc uero redeuntes primo a sapientia dei ad ra-
tionalem creaturam: deinde a rationali creatura ad creaturam corpo-
ream habita consideratione procedemus. Ille ordo est cognitionis: iste
conditionis: quia primum corporea creatura que uisibilis est in cognitionem
occurrit: deinde a corporea creatura ad incorpoream cognitio
transit. Postremo uia inuestigationis aptata: usque ad conditorem utriusque
peruenit. In conditione uero primo gradu ad imaginem dei rationalis

non quod ullatenus credendum sit trinitatem que inseparabilis est natura et operatione posse separari. sed ut discretio personarum in distinctione operum valeat intelligi. Quando ergo omnipotentia dei considerata in admiratione cor nostrum excitat: dies patris est. Quando vero sapientia dei inspecta agnitione veritatis cor nostrum illuminat: dies filii est. Quando autem benignitas dei attenta ad amorem cor nostrum inflammat: dies spiritus sancti est. Potentia terret. sapientia illuminat. benignitas letificat. In die potentie: per timorem morimur. In die sapientie: per contemplationem veritatis a strepitu huius mundi sepelimur. In die benignitatis: per amorem et desiderium eternorum bonorum resurgimus. Ideo enim Christus sexto die mortuus est. septimo die in sepulchro iacuit. octavo die resurrexit: ut simili modo. primum potentia in die suo per timorem. nos a carnalibus desideriis foris occidat. deinde sapientia in die suo intus in abscondito contemplationis sepeliat. postremo benignitas in die suo per desiderium divini amoris vivificatos exurgere faciat: quia sextus dies ad laborem. septimus ad requiem: octavus pertinet ad resurrectionem.

Alienum est omne quicquid optando [fuerit]
Ab alio expectes. alteri quod feceris.
Animus vereri qui scit. scit tuta ingredi.
Auxilia humilia firma consensus facit.
Amor animi arbitrio sumitur. non ponitur.
Aut amat. aut odit mulier. nichil est tercium.
Ad tristem partem strenua suspicio.
Ames parentem: si equus est. si aliter feras.
Amici vicia nisi feras: facis tua.
Aspicere oportet: quod possis perdere.
Alienum est homini ingenuo acerba servitus.
Absentem ledit cum ebrio qui litigat.
Amans iratus: multa mentitur sibi.
Avarus: ipse miserie causa est sue.
Amans quid cupiat scit. quid sapiat non videt.
Amans quod suspicatur vigilans: somniat.
Ad calamitatem cuilibet rumor valet.
Amor extorqueri non potest. sed elabi potest.
Ab amante lacrimis redimas iracundiam.
Aperte mala cum est mulier: tunc demum est bona.
Avarum facile capias. ubi non sis idem.
Amare et sapere: vix adeo conceditur.
Avarus nisi cum moritur: nichil recte facit.
Avarus dampno potius: quam sapiens dolet.
Avaro quid mali optes: nisi ut vivat diu.
Animo dolenti nichil oportet credere.
Alienum: nobis. nostrum plus aliis placet.
Amare iuveni fructus est. crimen seni.






hdisspicii ferri cito dat facturã doleri pbatu

chulrii pse

Negandi causa



R Repentino

Repentino Nonna Repentino

Amicus amic f

nulla

